

inquam, tali causa, natura et mente scilicet universali factum est et servatur etiam a causa tali idque magis est vero simile, quam ut ab eo facta sint mortalia animalia. At enim haec ab ideis, quae in ea mente sunt, profecta sunt, cur non etiam coelum ab iisdem profectum est? Profecto est: quia libro De mundo aperte fatetur, quod hic dubie dixerat *si factum est*, ibi enim:<sup>60</sup> *Et universum coelum exornavit ea, quae per omnia penetrat potentia*. Ergo et esse et actionem, motum scilicet ab ipsis, et ab ipsius ideis coelum et mundus habent, nihili ergo ea obiectio est; subdit:<sup>61</sup> *Sed enim neque ad scientiam quicquam prosunt aliorum neque enim substantia illa horum (in his enim inessent) neque ad esse, non inexistencia participatis*. Docuerat Plato in Phaedone omnem humanam scientiam reminiscentiam esse, quae nihil aliud esset, quam post oblivionem scientiae resumptio esseque verum id ita esse, quia in hac vita sciamus, quid aequale est: id enim evenire, quia ante hanc vitam idem sciebamus aequale, hoc autem idea ipsa erat, idea ergo obiectum nostrae tunc cognitionis erat et nostrae huiusce per reminiscentiam causa est.

Aristoteles id carpit hac ratione, quod illae ideae non essent horum substantiae, quasi scientia non per aliud habeatur, quam per substantiam: at contrarium toto 3. Analytico nos docuit, scientiam fieri per demonstrationem, haec autem scire nos facit non substantiam [333] aut essentiam, sed passionem propriam suo subiecto per causam inesse, passio haec accidens est, accidentis ergo, non substantiae Aristotelica doctrina est scientia, male ergo Plato carpitur.

Altera pars reprehensionis, quod ideae neque ad esse conferant, quia participantibus non insunt. Quasi sit necesse solem et patrem, qui Socrati dant, esse, Socrati inesse, puerilis sane obiectio. Ideae enim non formales causae sunt inferiorum, sed

<sup>60</sup> καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν διεκόσμησε, ἢ διὰ πάντων διήκουσα δύναμις. [ARIST. Mu. 396b.28 – 29]

<sup>61</sup> ἀλλὰ μὴν οὔτε [οὔδὲ] πρὸς τὴν ἐπιστήμην οὐδὲν βοηθεῖ τὴν τῶν ἄλλων, οὔδὲ γὰρ οὐσία ἐκεῖνα τούτων (ἐν τούτοις γὰρ ἂν ἦν), οὔτε [οὔδὲ] εἰς τὸ εἶναι, μὴ ἐνυπάρχοντά γε τοῖς μετέχουσιν. [ARIST. Metaph. 991a.12 – 14, također: ARIST. Metaph. 1079b.16]